

**ACTA TRIBUNALIIUM SANCTAE SEDIS
ROMANAE ROTAE TRIBUNAL**

Decretum Turni diei 2 maii 2013

coram Erlebach

B. 87/2013

nullitatis matrimonii, inc.: nullitatis sententiarum

Anno Domini 2013, die 2 maii, infrascripti Patres Auditores de Turno in sede Tribunalis Rotae Romanae legitime coadunati ad definiendam propositam quaestionem *de nullitate, vel minus, sententiarum primi et secundi iudicii gradus in causa, de qua supra*, hoc ediderunt decretum.

1. – **Species facti.** – Apud Tribunal A. Actrix impugnavit die 13 ianuarii 2007 nullitatis suum matrimonium ob incapacitatem mariti assumendi essentielles coniugii obligationes. Recepta responsione Conventi in ius vocati, dubium in causa solvendum statutum est circa capita incapacitatis assumendi ex utraque parte atque exclusionis indissolubilitatis ex parte mulieris actricis.

Instructio causae peracta est per auditionem iudicalem partium earumque testium, scilicet genitorum utriusque; admissa sunt etiam quaedam documenta et peritia psychologica ex officio confecta. Aditum Tribunal emisit die 15 iunii 2007 sententiam definitivam pro matrimonii nullitate, dumtaxat ob incapacitatem assumendi ex parte viri conventi. Appellante vinculi Defensore, acta causae transmissa sunt ad Tribunal Appellationis loci seu Trib. B., ubi prolata est die 6 novembris 2007 sententia pro vinculo ex capite incapacitatis assumendi ex parte viri conventi. Actrice appellante causa delata est ad Rotam Romanam.

2. – Turno Rotali constituto et causae actis in linguam italicam versis, Patrona ex officio mulieris actricis in lucem posuit irregularitates processuales a Tribunale Appellationis patratas. Promotor iustitiae sua ex parte formalem proposuit querelam nullitatis sententiae in altero iudicii gradu prolatae. Turnus tamen decreto diei 31 maii 2011 (B. 64/2011) declaravit non constare de nullitate sententiae secundi iudicii gradus. Causa ergo prosecuta est suum iter, ast die 14 februarii 2013, infrascripti Patres in sessione pro causa definienda adunati, dilata decisione de merito instituerunt quaestionem de nullitate sententiarum utriusque gradus ob irregularitates patratas in phasi discussoria primi iudicii gradus.

Ad complendam versionem actorum, omnibus in causa intervenientibus distributa est s.d. «Annotazione circa gli atti originali confezionati tra il 23.5.2007 e il 15.6.2007», exarata ab infrascripto causae Ponente et, ad instar notarii, ab Archivario H.A.T. linguam polonam callente. Sive pro Patronis partium sive pro vinculi Defensore et iustitiae Promotore statutus est terminus peremptorius diei 18 aprilis 2013 ad exhibendum proprium Memoriale, ast solummodo Patrona viri conventi scripsit.

His praehabitis Infrascriptorum est hodie solvere quaestionem de nullitate, vel minus, sententiae primi et secundi iudicii gradus in causa, de qua supra.

3. – **In iure.** – Haud raro ius defensionis ponitur in arcta conexione cum principio contradictorii*. Ita docemur in decreto coram Stankiewicz diei 15 iunii 1979: «Essentia [...]

* Il processo contenzioso è strutturato sulla base del principio del contraddittorio, il che per natura sua permette di far valere il diritto di difesa — l'uno e l'altro espressione del diritto al giusto processo. Un'eventuale denegazione totale del diritto di difesa di una delle parti, oppure una sua violazione sostanziale, comportano la nullità della sentenza (cf. can. 1620, 7°). Non vi è, tuttavia, una norma che sancisca la

iuris defensionis duobus elementis constat: iure ad contradictorium et iure ad auditionem» (*Ephemerides iuris canonici* 41-42 [1985-1986], p. 194, n. 7; cf. coram Stankiewicz, sent. interl. diei 20 ianuarii 1983, *Monitor ecclesiasticus* 109 [1984], p. 249, n. 8), ample in iurisprudencia rotali recepto (cf. coram Faltin, decr. diei 22 ianuarii 1992, RRDecr., vol. X, p. 4, n. 10a; coram Burke, decr. diei 11 iunii 1992, *ibid.*, vol. X, p. 112, n. 3; coram Turnaturi, decr. diei 14 iulii 1995, *ibid.*, vol. XIII, pp. 85-86, n. 16; coram Alwan, decr. diei 11 iunii 2002, Sarben. Maronitarum, B. 47/02, n. 8; coram Arellano Cedillo, decr. diei 22 iulii 2010, Nemptoduren., B. 106/2010, n. 5). Immo, sublineat sententia coram Stankiewicz diei 20 iulii 1995: «Elementa [...] iuris defensionis principio contradictorio substantialiter inhaerent, ita ut ipsum ius defensionis vocetur quoque ius ad contradictorium, cum sit ius ad contradicendum petitionibus, probationibus et deductionibus alterius partis vel ex

nullità della sentenza a motivo della sola violazione sostanziale del principio del contraddittorio da parte del giudice. Nel caso di una tale violazione si ricorre abitualmente alla fattispecie del negato diritto di difesa, considerando il contraddittorio e il diritto di difesa come due facce della stessa medaglia. Ma tale soluzione potrebbe non essere adeguata qualora avesse luogo una rilevante negazione del contraddittorio, ma non una sostanziale violazione del diritto di difesa.

Proprio una tale ipotesi, a prima vista inverosimile, è stata affrontata nel decreto Rotale qui presentato. Il Turno Rotale coram Erlebach ha dichiarato, infatti, la nullità della sentenza di prima istanza a motivo della sola negazione del principio del contraddittorio nella fase discussoria della causa, accompagnata del resto da un'istruttoria suppletiva. La chiara e lineare motivazione adottata dal Ponente non solo è di notevole interesse dottrinale, ma determina anche rilevanti risvolti pratici. Basti pensare allo stimolo che offre per una più sottile applicazione della querela di nullità nei casi che coinvolgono la violazione del principio del contraddittorio o al monito che ne scaturisce nei confronti dei giudici affinché gestiscano correttamente le cause, tenendo presente che le norme di diritto processuale appartengono al bene pubblico indipendentemente dall'oggetto della controversia.

officio propositis» (RRDec., vol. LXXXVII, p. 505, A. 70/95, n. 6); cf. coram Yaacoub, decr. diei 25 octobris 2007, Chigagien., B. 115/2007, n. 6.

Hoc deducitur ex ipsa natura iudicii contentiosi, agnito quod «non concipitur iudicium seu iudicialis disceptatio nisi adsit *contradictorium* seu facultas utrique parti concessa se defendendi adversus alterius partis assertiones et allegationes» (M. Lega – V. Bartocetti, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. II, Romae 1950, p. 900, n. 4). Ioannes Paulus II autem sua in Allocutione ad Rotam Romanam diei 26 ianuarii 1989, recipiens praefatam affirmationem, eam complevit ac roboravit per relationem ad profundiores exigentias iustitiae, considerate statuens: «Non si può concepire un giudizio equo senza contraddittorio, cioè senza la concreta possibilità concessa a ciascuna parte nella causa di essere ascoltata e di poter conoscere e contraddire le richieste, le prove e le deduzioni addotte dalla parte avversa o “ex officio”» (AAS 81 [1989], p. 923, n. 3). Summus Pontifex ita «probabiliter hic prae oculis habet illud “ius ad aequum iudicium”, quod in mundo hodierno magis magisque inter iura hominis computatur» (F. Daneels, *De iure defensionis. Brevis commentarius ad Allocutionem Summi Pontificis diei 26 ianuarii 1989 ad Rotam Romanam*, in *Periodica de re morali canonica liturgica* 79 [1990], p. 251, n. 3).

4. – Primo ictu oculi non facile est componere conceptus iuris defensionis et principii contradictorii quia una ex parte dantur decisiones rotales in quibus contradictorium intelligitur fere uti instrumentum iuris defensionis (cf., ex. gr.: «iurisprudencia recenset contradictorium uti princeps pariterque essentielle elementum ad cautionem defensionis ideoque et ad validitatem sententiae necessarium» [coram Alwan, decr. diei 17 februarii 2009, Romana, B. 27/2009, n. 5; «defensionis [...] ius implicat de se contradictorium» [coram López-Illana, decr. diei 18 februarii 1998, RRDecr., vol.

XVI, p. 33, n. 6]), inde et consecrarium: «cum denegatur alicui parti quaelibet potestas sese defendendi, revera deest [...] contradictorium [...] sine quo loqui nequit sensu proprio de vero integroque iudicio» (coram Doran, decr. diei 2 aprilis 1992, RRDecr., vol. X, p. 59, n. 5), dum altera ex parte substantia iuris defensionis haud raro trahitur ex ambitu contradictorii vel cum eo de facto aequiparatur (cf., ad instar exempli: «ius defensionis seu contradictorium iudiciale consistit praecipue: a) in facultate inducendi probationes in iudicio; b) in facultate cognoscendi probationes a parte adversa adductas; c) in facultate exhibendi proprias deductiones, allegationes et defensiones; d) in facultate respondendi, saltem semel, deductionibus, allegationibus et defensionibus partis adversae» [Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, coram Sabbatani, sent. diei 17 ianuarii 1987, in *Monitor ecclesiasticus* 113 (1988), pp. 273-274, n. 14]).

Hi oppositi anguli aliquando componuntur admittendo praecedentiam logicam iuris defensionis (cf. «il diritto di difesa è la ragione intima del contraddittorio [...] perché è il diritto di difesa che fa nascere il contraddittorio» [G. Erlebach, *La nullità della sentenza giudiziale "ob ius defensionis denegatum" nella giurisprudenza rotale*, Studi giuridici – 25, LEV, Città del Vaticano 1991, p. 73]; «Ius defensionis exurgere facit contradictorium ideoque denegatio huiusmodi iuris impedit, quominus contradictorium habeatur» [coram Huber, sent. diei 23 februarii 2001, RRDecr., vol. XCIII, p. 189, n. 11]) vel, vice versa, movendo a principio contradictorii, quod ordinarie est magis proprium iuris positivi, praesertim saecularis (cf., ex. gr.: «Il principio del contraddittorio [...] è alla radice dell'istituto della difesa» [F. Dotti, *Diritti della difesa e contraddittorio: garanzia di un giusto processo? Spunti per una riflessione comparata del processo canonico e statale*, Tesi Gregoriana – Serie Diritto Canonico – 69, Ed. PUG, Roma 2005, p. 27]).

Discrepant etiam opiniones circa functionem processualem iuris defensionis quae functio aliquando prima facie

fere negatur eam adsignando principio contradictorii (cf. «Haud raro contradictorio et iuri defensionis idem valor attribuitur. Res tamen distinguendae sunt: contradictorium est elementum essenziale disceptationis iudicialis, ius defensionis introspectendum est tamquam ius strictum partium» [coram Huber, sent. diei 23 februarii 2001, RRDec., vol. XCIII, p. 189, n. 11]), aliquando vero sustinetur sub luce contradictorii (cf. «il diritto di difesa in un processo di nullità matrimoniale esige che si dia ai diretti interessati ossia ai due coniugi, siano essi in conflitto tra loro o meno, la concreta possibilità di intervenire, cioè di dire e contraddire; il diritto di difesa inteso in tal senso è nello stesso tempo sia un diritto soggettivo dei coniugi che un elemento essenziale della struttura del processo. Spetta però al diritto positivo determinare come detto principio possa e debba concretamente diventare operativo» [F. Daneels, *Uno studio di Ann Jacobs sul diritto di difesa nelle cause di nullità matrimoniale*, in *Apollinaris* 73 (2000), p. 729, n. 7.2]).

Re pressius perpensa praetermitti nequit quod ius defensionis est «un derecho compuesto por un conjunto de derechos específicos, no del todo homogéneos [...]. El término “derecho de defensa” se utiliza con diversas acepciones, que sustancialmente se pueden reconducir a tres aspectos: el derecho fundamental de defensa, su formulación legislativa y el conjunto de facultades procesales» (G. Erlebach, v. *Defensa* [derecho de], in *Diccionario general de derecho canónico*, a cura J. Otaduy – A. Viana – J. Sedano, vol. II, Ed. Aranzadi, Cizur Menor 2012, p. 999). In ambitu processus contentiosi, applicando etiam in causis nullitatis matrimonii, ius defensionis tutatur atque ponitur in esse ope principii contradictorii, cuius gratia singulis partibus datur in processu «concreta possibilità [...] di essere ascoltata e di poter conoscere e contraddire le richieste, le prove e le deduzioni addotte dalla parte avversa o “ex officio”» (Ioannes Paulus II, Allocutio ad Rotam Romanam diei 26 ianuarii 1989, cit.).

5. – Ius defensionis exsurgit in ambitu iuris derivati uti exigentia iuris naturalis, corpus sumit per interventum Legislatoris, denique determinatur a iudice sub forma singularum facultatum processualium quae conceduntur ad tuendum proprium ius substantiale in ambitu iudiciali. Radix iuris defensionis exstat utcumque in ambitu iuris subiectivi etsi habeat etiam functionem processualem (cf. «Duplice appare il fondamento della difesa quale funzione del processo: diritto individuale e garanzia di corretto accertamento giudiziale» [F. Dotti, *Diritti della difesa e contraddittorio*, cit., p. 32]). Erronea non est ergo conceptio istius iuris in ambitu iuris privati quia subiectus renunciare potest *exercitio* iuris defensionis.

Aliter se ponit tamen principium contradictorii, super quo extruitur structura iudicii contentiosi. Hoc principium subest singulis dispositionibus legislativis quibus regitur huiusmodi processus, a iudice dein in concreto moderandus seu ducendus. Agitur ergo de principio ordinis publici, quod tangit in primis ius et officium iudicis cuius est, inter alia, concedere partibus in causa, et aliquando pressius constabilire, singulas facultates inhaerentes ad earundem ius defensionis. Ergo principio contradictorii atque *ipsi iuri defensionis* partes renunciare nequeunt.

6. – Communiter agnoscitur contradictorium esse de iudicii essentia (coram Huber, decr. diei 14 ianuarii 2009, Antelien. Maronitarum, B. 5/09, n. 3; coram De Angelis, sent. diei 15 iulii 2011, Faventina-Mutilen., A. 168/2011, n. 3) atque id in concreto ad essentiam processus pertinere (coram Monier, decr. diei 26 iunii 2009, Sancti Salvatoris in Brasilia, B. 90/2009, n. 5). Momentum contradictorii sub specie principii pingitur etiam uti «cardo primarius processus canonici» (coram Ferreira Pena, decr. diei 4 februarii 2011, Steubenvicen., B. 8/2011, n. 5) et dicitur quod «revera contradictorium est quasi cor processus, quia illud vim impulit ad veritatem comperiendam» (coram Caber-

letti, decr. diei 5 iulii 2007, Bombayen., B. 81/2007, n. 5). Res non est de nominibus, etenim «[l']analisi della giurisprudenza dei tribunali apostolici [...] rende evidente come l'ordinamento canonico protegga il principio del contraddittorio non solo per motivi formali di mero garantismo, ma per poter giungere alla sua più intima finalità essenziale, quella di essere strumento efficace della “*salus animarum*” attraverso un provvedimento coincidente con la verità oggettiva» (J. Llobell, *Il diritto al contraddittorio nella giurisprudenza canonica. Postille alle decisioni della Rota Romana [1991-2001]*, in *Il principio del contraddittorio tra l'ordinamento della Chiesa e gli ordinamenti statali*, a cura di S. Gherro, Cedam, Padova 2003, p. 32).

Cum autem sine contradictorio «iudicium ne quidem concipitur [...] cum desit essentia», in casu haud instituti a iudice contradictorii «sermo esse deberet potius de inexistencia sententiae quam de eius nullitate» (coram López-Illana, decr. diei 18 februarii 1998, RRDecr., vol. XVI, pp. 33-34, n. 6); cf. «in assenza del contraddittorio tra le parti, il processo è da considerarsi del tutto inesistente» (T. Di Iorio, *Il diritto di difesa nel giudizio canonico di nullità matrimoniale. La parte statica del processo*, Napoli 2012, p. 26). Inexistencia sententiae, vel uti communiter dicitur, eius nullitas, scatet evidenter in casu totalis denegationis contradictorii seu subversionis figurae iudicii contentiosi. Quaenam sint autem consecretaria, in ordine ad validitatem sententiae iudicialis, partialis solummodo denegationis vel praetermissionis contradictorii ex parte iudicis?

Certo certius «in ipso contradictorio distinguendum est inter actus accidentales et substantiales; iurisprudencia enim tenet defectum vel denegationem actuum essentialium tantum secumferre iuris defensionis violationem, cum sequelis dirimentibus pro sententia, non vero defectum actuum accidentalium» (coram Alwan, decr. diei 17 februarii 2009, Romana, B. 27/2009, n. 5). Praetermissa tamen violatione iuris defensionis, admitti potest denegationem partialem ipsius contradictorii ex se secumferre nullitatem sententiae si

essentia ipsa iudicii deficiat (cf. coram Brennan, sent. diei 27 novembris 1958, RRDec., vol. L, p. 661, n. 3). Non est ut in abstracto constabilire debeamus regulas universaliter validas circa ambitum irritantis violationis partialis principii contradictorii. Ad casum prae manibus quod attinet satis est agnoscere quod «phasis discussoria processus est ad essentiam iudicii contentiosi» (coram Erlebach, decr. diei 9 aprilis 2013, Vestmonasterien., B. 72/2013, n. 4); cf. coram Arellano Cedillo, decr. diei 11 iulii 2012, Montisvidei, B. 88/2012, n. 10. Si ergo iudex omnino non concederet phasim discussoriam vel substantialiter eam everteret, iam ex ipsa laesione essentialis principii contradictorii scateret sententiae nullitas, quidquid est de possibili violatione iuris subiectivi defensionis cum effectum in can. 1620, n. 7 statuto.

7. – Si in causa latae sint sententiae in duobus vel in pluribus iudicii gradibus, declaratio nullitatis unius sententiae secumfert, ratione nullitatis derivatae, nullitatem sententiarum quae sequuntur in superioribus iudicii gradibus ex eodem capite nullitatis, non autem sententiarum antea latarum.

8. – **In facto.** – In actis causae originalibus primi iudicii gradus, ad H.A.T. transmissis et adnotatione Notarii de eorum authenticitate et integritate munitis, sequentes inveniuntur actus in phasi finali processus:

- a) decretum publicationis actorum (Acta, p. 85);
- b) observationes Conventi post lectionem actorum et adnexa documenta (*ibid.*, pp. 86-99);
- c) decretum Tribunalis de conficienda peritia psychologica super utraque parte (*ibid.*, p. 100);
- d) votum peritale (*ibid.*, pp. 101-105);
- e) Animadversiones vinculi Defensoris (*ibid.*, p. 106);
- f) decretum conclusionis in causa (*ibid.*, p. 107);
- g) decretum Praesidis quo requiritur depositio votorum a Iudicibus de Turno (*ibid.*, p. 108);
- h) folium dispositivum (*ibid.*, p. 109);
- i) sententia definitiva (*ibid.*, pp. 110-115).

Ex hac actorum consecutione immediate patet quod parti actrici non fuit concessa facultas invisendi media probatoria producta a viro convento post lectionem actorum, nec utrique parti facta est publicatio voti peritalis ex officio acquisiti. Similiter dicendum est de animadversionibus vinculi Defensoris, numquam partibus significatis.

Insuper, receptis iam – uti videtur ex relata consecutione actorum – animadversionibus vinculi Tutoris, in decreto conclusionis in causa scriptum est inter alia: «A norma del can. 1601 il giudice concede alle parti e al Difensore del vincolo il termine di 20 giorni (dalla notifica del presente decreto) per depositare nel Tribunale, in forma scritta (can. 1602, § 1) le difese e le osservazioni. Scaduto il suddetto termine, le parti interessate avranno a disposizione nella sede del Tribunale le scritture difensive (se saranno depositate) e le osservazioni (can. 1603, § 1)» (Acta, p. 107). Hoc tamen decretum, ex se rite redactum, numquam notificatum est partibus in causa. De hac gravi omissione nulum adest rationabile dubium quia una ex parte Notarius declaravit fasciculum Actorum originalium esse integrum, alia tamen ex parte inde ab initio processus usque ad publicationem actorum inveniuntur in tabulis processualibus exemplaria litterarum ad partes missarum, in quibus fit mentio de s.d. «numero della posta in uscita» vel et dantur sygraphae receptionis, sed in casu decreti conclusionis in causa deest quodlibet vestigium eius intimationis.

Nihil ergo mirum quod Patrona ex officio viri conventi sustinet denegationem iuris defensionis utriusque partis, qua re postulat declarationem nullitatis sententiae primi iurisdictionis gradus (Memoriale pro P.C.).

9. – Quis tamen obicere posset denegationem iuris defensionis, etsi ex se omnino certam, non ita tamen gravem fuisse ut hanc ob rationem agnosci debeat sententiae nullitas quia Actrix, quae iam litteris dierum 12 februarii 2007 et 21 maii 2007 de facto renunciavit causae quia sustinere

non valebat iudicii expensas et nequibat alios proponere testes, omnino passive se gessit inde a publicatione actorum et obtinuit in prima instantia expetitam declarationem nullitatis matrimonii. Addamus, claritatis causa, quod Tribunal primi gradus ope epistolae diei 23 maii 2007 certiolem fecit mulierem actricem de decisione circa conclusionem phasis «collectionis documentorum seu de publicatione actorum» (Acta, p. 84), atque reduxit expensas. Mulier dein non stitit amplius in renuntiatione causae sua ex parte, sed et nihil egit in primo iudicii gradu.

Quod attinet autem ad Conventum, ille iam suis in observationibus post lectionem actorum propriam aliquomodo defensionem scripsit. Nec magni facienda est forsitan denegatio iuris defensionis ex defectu publicationis novorum probationum quia de iis sententia primi gradus fere nihil dixit: solummodo mentionem fecit de voto peritali, quin id aliquod momentum habuisset pro sententia prolata. Praeterea Perita conclusit adversus existentiam seriae anomaliae ordinis psychici in alterutra parte, dum Iudices primi gradus agnoverunt, e contra, matrimonii nullitatem.

Difficillime ergo agnosci posset nullitas illius sententiae ob denegatum ius defensionis alterutrius partis in causa, etsi certae sint plures violationes iuris defensionis, forsitan non omnino essentielles, utriusque partis. Sustinendum est, utique, ut «ius defensionis semper integrum maneat» (can. 1598, § 1; cf. eo sensu M. J. Arroba Conde, *Prova e difesa nel processo di nullità del matrimonio canonico. Temi controversi*, PM – 12, Eupress FTL, Lugano-Varese 2008, pp. 27-28), ast ad mentem communis iam iurisprudentiae rotalis protectio iuridica iuris defensionis, statuta in can. 1620 n. 7, intellegenda est uti facta solummodo relate ad *denegationem* totalem vel *violationem* substantialem eiusdem iuris alterutrius partis in causa in essentiali aliqua phasi processuali.

10. – Pressius tamen examini subiectis praefatis tabulis processualibus et attentione posita ad dies singulorum ac-

tuum, alia adhuc scatet irregularitas: tabulae processuales confectae post publicationem actorum non sequuntur ordinem chronologicum. Adhibito vero hoc ordine, obtinetur sequens eorundem actuum successio:

- a) decretum publicationis actorum (23.5.2007);
- b) observationes Conventi post lectionem actorum (4.6.2007) et adnexa documenta;
- c) Animadversiones vinculi Defensoris (7.6.2007);
- d) decretum Tribunalis de conficienda peritia psychologica super utraque parte (8.6.2007);
- e) decretum conclusionis in causa (8.6.2007);
- f) decretum Praesidis quo requiritur depositio votorum a Iudicibus de Turno (8.6.2007);
- g) votum peritale (14.6.2007);
- h) folium dispositivum (15.6.2007);
- i) sententia definitiva (15.6.2007).

Quid est ergo dicendum?

11. – Satis est perpendere hanc successionem actuum ut immediate plura dici possint:

a) certum non est utrum decretum de conficienda peritia latum sit ante subsignationem decreti de conclusione in causa an vice versa: ambo signata sunt eadem die 8 iunii 2007. Nihil tamen interest solutio huius quaestiunculae, quia iam factum exquisitionis peritiae et dispositio de conclusione in causa eadem die facta, difficillime explicari possunt sub luce sanae logicae iuridicae;

b) facultates concessae in decreto conclusionis in causa, sed de facto partibus non significatae, constituunt merum flatum vocis. Haec notabilis irregularitas eo vel gravior apparet ex facto quod eadem die 8 iunii 2007 acta causae transmissa sunt ad Iudices de Turno ut unusquisque eorum exaret votum pro sententia ferenda;

c) in decreto conclusionis in causa statutus est terminus viginti dierum pro defensionibus a partibus exhibendis, sed – uti constat ex folio dispositivo – iam die 15 iunii 2007

habita est sessio Tribunalis in qua capta est decisio de causae merito, elapsis ergo solummodo septem diebus a conclusione in causa! Certo certius non agitur heic de sollerti Iudicum actione, sed potius de modo procedendi in fraudem legis et partium. Hoc in contextu fundata est omnino suspicio decretum conclusionis in causa confectum esse non ad manifestandam, pro partibus, Iudicis voluntatem in causa dirigenda, sed potius ad meram formam processus;

d) singularis est etiam modus expetendi peritiam. Iudex tulit decretum de peritia conficienda eadem die qua misit causae acta ad Iudices de Turno ut pararent vota de causae merito et miro modo votum peritale confectum est sex solummodo elapsis diebus, scilicet pridie causae decisionis!

His omnibus una simul perpensis nullum manet rationabile dubium totam phasim discussoriam arte fuisse confectam, sine voluntate Praesidis ut seria fieret ulterior causae investigatio, ne quid amplius dicamus de eiusdem Officialis fictione voluntatis concedendi partibus in causa facultates eis spectantes in ordine ad propriam exhibendam defensionem et invisendam scripturam alterius partis. Tota ergo illa phasis processualis constituit meram fictionem.

Ideo non agitur de mera violatione iuris defensionis partium in causa, sed de magis radicali violatione ordinis processus, scilicet de denegatione ipsius contradictorii saltem in phasi discussoria processus primi gradus, quod sine dubio secumfert nullitatem sententiae primi iudicii gradus atque, ratione nullitatis derivatae, illius emissae in secundo gradu.

12. – Dubitari quoque posset utrum rite an non peracta sit sessio Iudicum ad decernendum de merito causae attempto quod Praeses Tribunalis exquisivit die 8 iunii 2007 a Iudicibus de Turno ut vellent «depositare i loro voti» intra determinatum tempus. Cur enim deponere debuissent vota ante causae definitionem? Ad normam iuris Iudices mutare possunt eorum vota in discussione causae (cf. can. 1609, § 4; art. 248, § 4 DC) et solummodo decisione capta de me-

rito causae tenentur tradere eorum vota extensori sententiae (cf. art. 249, § 2 DC; art. 96, § 3 NRRT). Cum autem non constet de irrita vel omnino inexistenti sessione pro causae definitione – etsi valde singularis est celeritas adhibita in definitione causae in prima instantia quia folium dispositivum refert diem 15 iunii 2007 uti diem definitionis causae, eiusdem diei est sententia definitiva et die 20 iunii 2007 causae acta transmissa sunt ad Tribunal Appellationis loci quin sententia partibus esset notificata –, Tribunal primi iudicii gradus monetur de gravi onere ferendi sententiam ad normam legis (cf. can. 1609), et quidem in omni causa, quin sufficiant sola vota singulorum iudicum de turno.

13. – Cum Huius Apostolici Tribunalis sit per proprias sententias auxilio esse Tribunalibus loci, memor fiat Tribunal primi iudicii gradus hanc causam non satis instructam esse pro decisione de merito ferenda uti constat ex causae discussione peracta hac in instantia. Auditi sunt enim solummodo genitores partium, qui sequuntur oppositas partium declarationes, dum ex officio ad vadimonium reddendum vocari potuissent saltem frater viri conventi (cf. Acta, p. 33) et consobrina mulieris actricis, nomine «I.» (cf. *ibid.*, pp. 30/2; 31/7; 32/14). Insuper quam maxime opportuna esset confectio peritiae psychologico-psychiatricae veri nominis, praehabito scilicet examine directo viri conventi a Perito, cui porrigenda sunt quaesita prae oculis habito art. 209 DC.

14. – Quibus omnibus in iure et in facto rite perpensis, infrascripti Patres Auditores de Turno ad quaestionem incidentalem sibi propositam respondendum censuerunt uti respondent: *Constare de nullitate sententiarum primi et secundi iudicii gradus.*

Causa remittitur ad Tribunal primi iudicii gradus ut ad normam iuris se gerere velit.

Quod decretum iusserunt notificari omnibus, quorum intersit, ad omnes iuris effectus. Insuper exemplar huius decreti mittatur pro notitia ad Tribunal App. B.

Romae, in sede Romanae Rotae Tribunalis, die 2 maii 2013.

GREGORIUS ERLEBACH, *Ponens*

JAIR FERREIRA PENA

VITUS ANGELUS TODISCO